


1. Sachs: De vomitu 1709
2. Sainello De vero sanguinis 1708
3. Sainello De vomitorii 1704
4. Pallenaue Icherna Cerebri 1781
5. Salzmann De Hyperoethari 1683
6. Salzmann De plurium pedis muscul. defectu 1734.
7. Saurerotte Therapia Syphilidis 1790.
8. Savary De sale essentiali acetosellae 1773.
9. Schaeffer De munditiei neglectae sequelis 1784
10. Schaeffer De variis lithotomiae generibus 1724
11. Schaeffer De qualitate et quantitate alimenterum Romanorum 17
12. Schafonsky De gravidarum partur et puerp. convuls. 176.
13. Schaller. De jalappa 1761
14. Schaffonbuel de partibus constitutivis corp. nat. 1784.
15. Schaffner De potu frigido 1700
16. Scheinkardt De vilitate lactis lactantium. 1762
17. Schell. Historia mulieris quae inopinata caru subito loque
amisit et caesareo opere repente recepit 1725.
18. Schenckbecher Febris stomachica intestinalis 1760.
19. Schenckel De morbo meteororum in corp. hum. affectu 1726
20. Scherer De calculis a ductu salivali excerptus 173



Q. D. B. V. 22
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
HYPERCATHARSI.

Quam
DECRETO atque AUTHORITY
GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

Inclytæ Universitatis Argen-
toratensis,

Pro
Summis in Arte Medica Honoribus &
Privilegiis Doctoralibus impe-

trandis
Solenni Eruditorum Examini
subjicit

JOHANNES Saltzmann /
Argentoratensis.

Die 26. August. A. O. R. 1683.
horis locog₃ solitis.

ARGENTORATI,
Literis JOH. JACOBI DOLHOPFII.

V I R O

*Maximè Reverendo, Amplissimo
atq; Excellentissimo*

DN. BALTAS. FRIDERICO
Saltzmann/

S.S. THEOLOGICÆ LICENTIATO,
TEMPLI PRÆDICATORUM PASTORI
VIGILANTISSIMO, MERITISSIMO.

PARENTI OPTIMO,
SALUTIS PROMOTORI MAXIMO,

EXERCITIUM HOC INAUGURALE,
GRATITUDINIS MONUMENTUM
CONSECRARE,

SIMULQUE

VALETUDINEM RECUPERATAM
PUBLICÈ GRATULARI

DEBUIT, VOLUIT

FILIUS OBSEQUIOSISSIMUS

JOHANNES Saltzmann.



C. B. D.

De

HYPERCATHARSI.

Proæmium.



Uivis, qui primis saltem labiis Medicinam gustavit, notum est causam plurimorum Morborum inesse ipsis et Humoribus, ad corpus nutriendum à natura elaboratis; qui peccant nonnunquam in quantitate, ut scil. sint copiosiores quam vel vasa, vel natura ferre valent; & constituunt Plethoram: aut pauciores in corpore existunt, quam corpus ad sui nutritionem requirit; unde *Ατροφια* sequitur: frequentius tamen in qualitate peccant isti Humores, partim ob alimentorum, ex quibus sunt concocti, vel copiam, vel varietatem, vel vitium in substantia; partim etiam ob causæ Efficientis errorem, partim deniq; ob loci in quo elaborantur malâ conformationē. Hæc igitur Humorū vitia tanquā Res p. n. sui ablationē per contrarium indicare videntur. Primum quidem per Venæ sectionem curari solet; alterum vero per purgationem. Purgatio autem hæc non semper æque feliciter cedit, sed nonnunquam utilia cum inutilibus evacuantur, aut saltem plura quam debebant: & conti-

A

nuatur

nuatur hæc evacuatio nonnunquam usque ad λειποθυ-
 μίαν, imò ad ἀσφυξίαν usque: quod malum, licet sympto-
 ma sit, inopinatò accidens, contemnendum tamen mi-
 nimè est, quum alia periculosissima inferat symptomata.
 Operæ pretium equidem esset fusius de hac materia dis-
 ferere, & causis illius explicatis, demonstrare qua ra-
 tione huic malo quis mederi posset; imprimis quum vix
 ullus Authorum hæctenus hanc materiam, υπερκάθαρ-
 σιν intelligo, explicare suscepit; nisi angustiorem tem-
 poris termini, quibus constringor, hoc impedire vi-
 derentur. Brevibus itaque, quantum ingenii vires & tem-
 poris angustia permittent, affectum hunc examinabi-
 mus: quod ut feliciter cedat Supremum Numen gra-
 tiam suam benignè affundat.

*Quid sit υπερκάθαρσις? & quæ ejus
 signa?*

Quid Medici per υπερκάθαρσιν vel Superpurgatio-
 nem intelligi velint, ipsis nominibus indicant: com-
 ponitur quippe υπερκάθαρσεως vocabulum ex Præposi-
 tione ὑπὲρ, & voce κάθαρσις, quod Latini haud ineptè
 per Superpurgationem verterunt; quasi Purgatio super
 Purgationem, vel supra modum Purgatio: Est enim im-
 modica, effrenata ac inutilis evacuatio, non tantum
 peculiaris cujusdam humoris, sed & reliquorum humo-
 rum tam utilium, quam inutilium, varia ea que graviora
 symptomata inferens. *Violentius namq; medicamentum
 proprio humore detractò, alios dein invadit, ac primum
 tenuiorem, atq; ad fluxum aptiorem prolicat, deinde eum
 qui*

39(3)90

qui crassior atq; pigrior est, postremò sanguinem, quem natura tanquam reconditum thesaurum pretiosissimum avidius amplectitur ac retinet: Exemplo sit medicamentum χολαγωγόν aliquod, quo epoto primum bilem vomitione quis refundet, mox etiam pituitam, deinde quoq; præter bilem, atram bilem, idq; per vim, sub mortem vero sanguinem etiam purum evomet: idem quoq; contingit ex medicamentis Pituitam ducentibus; primum enim pituitam evoment, mox bilem flavam, deinde atram, sub exitum vero purum sanguinem, sub eoq; moriuntur: ut docet ipse Hippocr. Non tamen omnis purgatio, vel humorum evacuatio cum sanguine υπερνάθαρσις dici meretur, aut lethalis pronuncianda, quum talis etiam in Dysenteria fieri solet ab humoribus acribus atque mordacibus, Intestina corrodentibus. Neque etiam υπερνάθαρσιως nomine venit quævis largior evacuatio; sed ut symptomatica sit, necesse est: hausto quippe medicamento major interdum humorum copia ejicitur, quam vel Medicus expectare, vel medicamenti vis per se efficere potuit, idque propter humorum vitiosorum copiam; qui evacuati corpus vegetius reddunt, & εὐφορίαν producant: quam evacuationem si quis υπερνάθαρσιν dicere vellet, durum foret, quum illam nulla εὐφορία sequi solet, sed virium prostrationem semper comitem habet atque pedissequam, unà cum faciei pallore, extremorum refrigeratione, sudore syncoptico; & nonnunquam convulsione atque singultu; quæ omnia vehementiora evadunt, quo atrocius ipsum malum existit, vel prout magis augetur.

A 2

Hyper-

Quæ Hypercatharseos Causa?

FONTES hujus affectus examinantes deprehendimus
 varias hujus mali esse causas, externas scilicet atque inter-
 nas; ad externas refertur quando vitium est vel in par-
 te Medici, vel Pharmacopolæ, vel ægri, vel adstantium.
 Medicus in causa erit partim ob inscitiam, quum artem
 illiusque instrumenta non satis cognita habet, purgan-
 tium vitia ignorat; qualis error esset, si quis Hæ-
 morrhagiis vel etiam *ὑπερκαθάρσει* obnoxio Aloem sæ-
 pius offerret, nesciens illam esse *ἀνασφοματικὴν*: partim
 ob imprudentiam, si scilicet, circumstantias negligens præ-
 cipitato calamo remedia præscribit, causam vitiosam & ejus
 quantitate nondum cognita; alio modo ac *Hippocrates*
atq; Galenus, qui magis timuerunt, & majori cautione usi
 sunt, quum purgandum erat, quam quum sanguis mittendus.
 Pharmacopolæ insuper vitio fit, si negotiis cumulatus
 ea, quæ à Medico præscripta extant, debita attentione
 non perlegit, sed vel aliquid omittit, vel ipsam dosin au-
 get; qui nonnunquam etiam illa corrigere audet. Præ-
 terea & ipsius ægrotantis corpus in culpa est, quando scilicet
 ante assumptionem medicamenti materia, ad fluendum
 parata, est *copiosa*, & *Diarrhæa in procinctu est*. Ad hæc
 multum ad *ὑπερκαθάρσει* excitandam conferunt corpus
 ægri ad hunc affectum aptum reddendo: *Ætas juveni-*
lis vel senilis; temperamentum calidum, & siccum; aer
austrinus, corpus laxando humidiusque reddendo; pur-
gatio sub Canicula aut ante Caniculam; victus ratio ca-
lidior atque siccior; frequentior usus vini meraci; mo-
 tus



tus vehementiores tam animi quam corporis, & quæ sunt ejus generis alia.

Tandem & adstantes errores committere solent; unde Hippocrates inquit: *Nec satis est Medicum suum fecisse officium, nisi suum quoque ægrotus, suum adstantes faciant, sintque externa ritè comparata*; suntque hi errores interdum hæud exigui, sed tales quæ Medicum in felicitatione maxime impediunt; offerunt namque medicamenta vel injusto tempore; vel diversis vicibus usurpanda, uno haustu diglutienda tradunt: vel medicamenta ab Agyrts ac carnificibus expetunt: vel ipsæ mulierculæ proprio consilio medicinam ægrotanti præbent, felicem effectum sibi promittentes, quoniam aliis debitum usum præstitit in morbo speciem saltè similem habente; quæ omnia in *ὑπερκαθάρσεως* productionem conspirant; idque vel propria vi atque per se, vel per accidens.

In internarum causarum numero sunt, Vasculorum infirmitas, Osculorum laxitas, & Purgantis mordacitas; debilitata enim facultate Retentricæ facili negotio humores ex vasis exturbantur, & ad evacuationem invitantur, imprimis si orificia, quæ immoderatum fluxum aliàs compefcere solent, propter laxitatem illum amplius impedire nequeunt: multò autem vehementior evadit; si ipsius medicamenti acrimonia, continua vellicatione naturam ad ejectionem irritando, concurrat; quæ causa sola sufficiens esset organa ad excretionem excitandi; uti apparet in Tenesmo, cujus causam omnes uno ore humorem acrem atque mordacem constituunt, intestino Recto in hærentem, & inexplabilem dejectiendi cupiditatem producentem: possibile enim non



est, quin talis humor erosione sua dolorem non exci-
 tet, fit enim quædam continui solutio, quanquam ra-
 tione potius contemplabilis, quam visu perceptibilis;
 hanc autem continui solutionem necessariò excipit do-
 lor, imprimis quum fiat in parte maximi & exquisitissi-
 mi sensus, cui dolori natura, quæ in omnibus provida,
 suppetias ferre conatur, quare varios inde ablegat hu-
 mores: quod naturæ opus etiam Medici, quum Revul-
 soriis remediis opus habent, interdum imitantur; ut fit
 in nimia narium hæmorrhagia; vel in sanguinis effusione
 modum excedente ob ruptū vasculū in ipsa Gingiva, quod
 interdum accidit; vel effrenatum Hæmorrhoidū fluxum;
 vel immodicam sanguinis evacuationem post partum.
 In his, inquam, & similibus casibus Medici naturam imi-
 tantur, & in parte quadam, ignobiliori tamen, ad nobi-
 lem enim partem si humores deduceres, ægro male con-
 suleres; dolorem excitant, v. g. fortiori quadam ligatu-
 ra, cui parti dolenti natura, humores à fluxu revocans,
 subvenire atque succurrere nititur; & felicissimum sæ-
 pius sentiunt effectum. Pari quoque ratione καθαρτι-
 κόν aliquod vehemens calore suo, quo plurima Purgan-
 tia gaudent, non tantum humores attrahit, sed &, ut
 modo ostensum, acrimoniâ suâ atque mordacitate; non
 tamen omnes humores tam firmo nexu sibi adhuc con-
 nexos allicit, ut in modo allegatis exemplis fieri solet;
 sed insita vi Purgatrice prius separatos: unde χολαγωγὰ
 bilem primò, postea vero reliquos humores, prout unus
 altero fluxilior est, evacuat.

Antea mentionem quidem fecimus Vasculorum in-
 firmitatis, & Osculorum laxitatis, tanquam causarum

Υπερ-



Ἰπερκαθάρσεως, quæ, quod multum conferant, nobis dubium non est, vix tamen solæ sufficient; sed necessariò Pharmacum aliquod requiri videtur, quod certum quendam humorem alliciat, & naturæ ad hujus & reliquorum humorum evacuationem stimulum addat. Infirmitas autem hæc Vasorum, illorumque orificiorum laxitas provenit à rebus intemperanter illa afficientibus, refrigerantibus nimirum & humectantibus; quæ illorum crasin resolvunt atque bonam dispositionem vitiant, ut contentos humores retinere vix aptæ sint. Imprimis si accedit individualis quædam proprietas, secundū quam nonnulli medicamenta purgantia nullo modo ferre valent, licet sint satis moderata.

Vasa autem, quæ hic afficiuntur, ab Authoribus Venæ Mesaraicæ esse dicuntur, per quas totum corpus sese à concoctionum excrementis exonerat, illaque ad intestina, tanquam communem sentinam ablegat.

Quomodo fiat Hypercatharsis?

Videtur igitur Superpurgationem sequenti fieri modo. Hausto quodam Cathartico calor excitatus statim in id agere incipit, illudque resolvit; quod vinculis quasi solutis, vires mediantibus vaporibus, quibus ut vehiculo utitur, in universum dispergit corpus: hi vapores massæ sanguinæ misti fermentationem molliuntur, sicque utile ab inutili segregant, & peculiari vi certum quendam humorem primò educunt; medicamento autem vel fortius agente, vel nimia humorum copia in corpore existente, vel vasorum illorumque orificio-



ficiorem crasi vitiatâ, vel naturâ ægri purgantia ægre ferente, natura turbatur, unde reliqui humores simul vacuari solent. Nullus autem sibi persuadeat Cathartica illa agere tantum in certum quendam humorem, quum propter generalem purgandi vim, eis communicatam, reliquos etiam aggrediuntur humores. Fingamus in quodam *biliflava purganda justam congruentemq; quantitatem esse Rhabarb. ziiij. Atrabili, Senn. zvi. Pituita, Agaric. ziiij*: Huic igitur tres hi humores sunt expurgandi: aptum autem efficaxque comparabitur medicamentum si tria hæc conferuntur; ita ut Rhabarb. & Agaric. sit an. zj. Senn. ziiij. M_g. Hac vero ratione compositum medicamentum nullam vim obtineret, nisi communi quadam ac generali purgandi facultate simplicia illa mutuò sese foverent. Si autem supra positas doses Rhabarb. scil. & Agarican. ziiij. fol. Senn. zvi. simul sumeres, licet omnia hæc in numero Purgantium mitiorum sint, nihilominus *vehementius propones remedium; quod tamen fieri deberet, nisi generali ista purgandi vigauderent. juxta Fernel.*

Quid de Hypercatharsi praesagiendum?

EX dictis jam notum est, diversos esse υπερκαθάρσεως gradus, unde & diversa ferenda judicia. Interdum enim ope medicamenti assumti unus evacuatur saltē humor, modum tamen excedens, quòd & confertim, & omnis simul effluit, magno sanè cum virium dispendio; nam licet evacuatione ista evacuentur vitiosa, fieri tamen

men nequit quin & multum caloris egrediatur; id quod in omni evacuatione accidit, unde omnes, quamvis moderata sint, corpus refrigerant atque debilitant. Verum etsi *ὑπερμάθαρσις* hæc corpus alteret, & actiones Animales, Vitales & Naturales lædat, lethale tamen signum nobis non est, sed felicem eventum expectare nos jubet, nisi inopinati quid supervenit: cui sententiæ calculum suum addit *Hippocrates l. de Natur. Hominis inquit: quanquam primum quidem in immodicis purgationibus solâ evacuatâ bile nullus unquam mortuus est: Cujus pronuntiati ratio procul dubio est, quod à levitantum causa ortum ducat hæc Superpurgatio, & quod ista, quum non multum à naturali abierit, facili negotio corrigi atque placari possit. Difficilius vero est judicium si & alii vacuantur humores; denotat enim causam vehementiorem ac graviorem, quæ non tantum per se corpus labefactat, verum etiam mediantibus symptomatibus, quæ conjuncta habet, illud destruit. Inter symptomata autem illa *Hippocrates* refert convulsionem, quando *Sect. 5. Aphor. 1. inquit: Convulsio ex Helleboro lethalis.* Paucis hic notandum vocabulum Lethale duobus accipi modis apud Medicos; intelligunt enim vel id quod ut plurimum est mortiferum, aut ex sua natura, aut quod nobilem quandam lædit partem, aut quod gravissimis comitatum est symptomatibus, spes tamen quædam salutis adhuc est relicta; talia sunt Vulnere cerebri, Vulnere superficialia ipsius cordis. &c. vel denotat ipsis τὸ Lethale id quod ἐξ ἀνάγκης tale est, quod in Apoplexia fortissima accidit: quo significatu tamen *Hippocrates* supra allegatum Aphorismum minimè intelligi vult,*

B

quum



quum ipsi experientia contrarius esset; *Galenus* enim in explicatione hujus Aphorismi mentionem injicit: *Adolescentis aruginem evomentis, cui inter vomendum totum corpus convulsus est, quâ arugine tamen evacuata, febris & convulsio statim cessarunt.* Prior igitur sensus magis accommodatus videtur. Lethalem autem vel maximè periculosam Hippocrates convulsionem pronunciat, quod illâ cerebrum in consensum trahitur, partim ob inanitionem nervorum, quatenus nimirum calor ipsius Pharmaci nervorum substantiam vehementius exsiccat, ut chordarum instar extendantur; quæ tamen extensio, num in corpore vivente admitti possit, adhuc sub Judicelibus est; quum vita consistat in calore & humido: In consensum insuper trahitur ipsum cerebrum ob mordacitatem & acrimoniam Hellebori, quâ nervos perpetuò vellicat.

Alterum symptoma, cuius Hippocrates mentionem facit, est Singultus; nam in eadem Sect. Aphor. 4. dicit: *A Purgatione immodica Convulsio aut Singultus malus;* indicat enim magnam vaporum aut humorum in Ventriculo delatorum copiam, vel haud mediocrem illorum mordacitatem, quâ facultatem expultricem ad ejectionem incitant. Hisce symptomatibus jungi possunt symptomata supra jam enarrata, singula autem in gradu vehementiore.

Gradum vero ultimum constituit illa *ὑπερκαθάρσις* species, quæ omninò lethalis est; in qua non tantum vitiosi humores evacuantur, sed & humor naturæ maximè familiaris, sanguinem intelligo, educitur; de qua Hippocrates antea citato l. de Natur. Hom. §. 35. seqq. hæc

hæc habet. *Verum epoto medicamento quod bilem ducat, primum sanè quis bilem, idq; per vim, sub mortem vero sanguinem etiam purum evomet; simili modo sese res habet cum Pituitam purgantibus; quod si postremò sanguis sequatur, in propinquo mors sit: Omnes namque extremæ evacuationes maxime sunt periculosæ.*

Curationis methodus.

O Stensum hæctenus affectum hunc magni esse momenti, periculique adeò plenum ut eo laborantem sæpius enecet: omnis igitur lapis movendus ut fluxus hic immodicus ac effrenatus, sistatur. Scopum autem nostrum feliciter attingemus, ubi medicamenta aliquid adhuc efficere valent; si causam primò respicimus, quæ omnium consensu est mordacitas ac nimius calor medicamenti; cæteræ enim causæ, Vasorum scil. infirmitas, & Orificiorum laxitas vix Hypercatharsin producere aptæ sunt, nisi Pharmacum simul in causa sit.

Curatio itaque in hoc consistit, ut materia vitiosa, malum excitans, evacuetur, calor temperetur, acrimonia mitigetur, & roborantia atque adstringentia addantur.

Medicamenta autem humores vitiosos commodè expellentia sunt vel simplicia, vel composita; quamquam nonnulli medicamenta composita in numerum utilium medicamentorum recipere dubitant, sibi persuadentes compositione vires cujusvis simplicis debili-



tari, ut postea adeò felicem effectum non edant: verum multum hallucinantur, quum & Ratio & Experientia ipsis contradicunt: observamus quippe quotidie, medicinam legitimo modo compositam felicissimè operari, & humores sufficienter educere: & nisi effectus Medicorum votis responderent; ea non in tanta copia præscriberent: imò videtur composita esse efficaciora ipsis simplicibus; compositione enim corrigimus vitia simplicium, acrimoniam atque flatulentiam, imprimis autem pigritiam, quâ, si non plurima, multa saltem purgantium laborant. Juvat insuper compositio medicamentorum, ut ægro magis grata reddantur, & ipsius gustui magis accommodata, unde feliciorum effectum sperare nos licet, quam si ab illis æger abhorreret. Perfectiora insuper sunt medicamenta ipsis simplicibus; possibile enim non est ut medicamentum aliquod simplex in omni adimpleat Medici scopum, quod tamen Medicus compositis satis commodè præstabit; qualia remedia sæpius affectus quidam postulat, ubi plura concurrunt symptomata, ut & in Hypercatharsi accidit, quibus omnibus Medicus succurrere debet.

Sunt deinde medicamenta hæc vel liquida, vel sicca, quæ pro diversitate affectus, vel partis affectæ, vel subjecti congruè adhibita majorem præstant usum: Nam corpora calida & sicca, vel frigida & sicca magis delectantur medicamentis liquidis: à quibus etiam partes in interioribus corporis antris latentes majus sentiunt commodum; humiditate enim, tanquam vehiculo, medicamenti vires facilius ad talem partem feruntur; ad quam sicca vix ac ne vix quidem penetraffent: sic etiam in affectibus

Etibus calictis Medici medicamenta semper ferè in forma liquida offerre solent; quod & in affectu nobis proposito facere amant.

Hæc autem remedia diversis modis ægrotanti applicantur, vel enim ore assumuntur, ut potiones, infusa, vina medicata; vel ano immittuntur, ut Enemata, ex quibus prudens Medicus ea eligit, quæ scopo magis respondere videntur; & potionibus, vel infusis utuntur si materia vitiosa ventriculo inhæret; Enematibus vero si in Intestinis vel venis Mesaraicis malū latet: unde & nostro affectui accommodata esse videntur; maximè autem cavendū ne vehementia illa sint aut acria, quum malum potius augerent, quam minuerent; feliciter operamur hoc in effectu per *ἐκκοπρωτικά*, qualia sunt Manna, Cassia, Tamarindi; quæ non simplicem usum sed diversa ac varia commoda inferunt: nam præter purgandi vim. Frigida vel saltem temperata gaudent qualitate, quæ humoris peccantis intemperies alteratur, & acrimonia infringitur; aciditate autem suâ, quâ prædita sunt, imprimis Tamarindi, modicè adstringunt ac roborant, ut ita ferè omnem paginam in curatione Hypercatharseos levioris absolvant.

Materiâ vitiosâ medicamentis his evacuatâ, calor & morsus simul cessabunt, quia scil. dependent à vehementia medicamenti istius: si tamen Medico hæc sufficere non videntur, efficaciora addat refrigerantia, quibus calorem non tantum mitigat, verum etiam fluxui medetur: hisce enim materiâ crassior redditâ ad fluxum fit ineptior; in quem usum in officinis habemus Succ. Ribium, Berber. Limon. Citr. Aurant. Granat. acid. Syr. Berber.

ber. de Rub. Id. Acetos. Acetosell. Papav. Nymph. &c.
 Conf. Cichor. Capill. ♀ris. Acetos. Rosar. Violar. Vitriolat.
 Ex conditis Berber. cond. Rib. cond. Lact. Hisp. condit.
 Spec. Diatragac. Diatrionsantal. ex quibus omnibus
 medicamenta componuntur prout ægrotantis gustus
 requirit, & offeruntur in forma Syrupi, vel Conservæ,
 vel Electuarii.

Quibus, si Medicus morbum vincere non valet, valida
 adstringentia subjungenda sunt, quæ omni vi humores coër-
 cent, in quorum albo sunt Radices Tormentill. Bistort. flor.
 Balauft. Rosar. rubr. Fruct. Corn. Granat. Sorb. Terra sigill.
 Corall. rubr. Crocus ♂ris obstructivus, & ex his composita
 Syr. Myrtin. Rosar. r. Granat. de Agrest. Corall. Conf. Rosar. r.
 antiq. &c.

Nonnullis placet Revellentia addere, quæ, quod voto sæ-
 pius respondeant, nullus dubito, sunt enim remedia quæ in flu-
 xionibus præternaturalibus multum valent, imprimis si fortio-
 ra illa sunt: quæ quâ ratione usum suum præstent, fusius supra
 ostendimus.

Si vero & his cedere malum detrectaret, ut nonnunquam
 fatis contumax est; Narcoticis uti cogimur, ut illorum auxilio,
 somnum ægrotanti conciliantes, immodicum ac effrænatum
 fluxum placemus: somno enim omnes sistuntur evacuationes
 excepto solo sudore: sed cautè illa usurpanda sunt, quum cere-
 bro maxime sint offensa, non tantum frigida sua qualitate, sed
 præcipue occulta vi; tutius tamen utimur Theriaca Androma-
 chi recenti, vel Mithridatio Damocratis. quod in justa dosi
 assumptum magna præstat.

Hæc sunt quæ de hac materia, satis sterili, Te B. L. digna esse
 judicavi, & si forsan, ut facile mihi persuadeo, erraverim,
 brevitatem temporis excusare velis, meque de meliori informare
 haud dedigneris. DEO interim TRIUNI, qui laboribus no-
 stris atque conatibus hætenus adesse voluit, nos nostraque
 studia ulterius humillimè commendamus, cui etiam sit Laus,
 Honor & Gloria in sempiterna secula.

F I N I S.

3
O. 4
raij
&
ita



11



ULB Halle
002 500 035


3




f

SB₂
Vb 17







Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
HYPERCATHARSI.

Quam
DECRETO atque AUTHORITY
GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

Inclytæ Universitatis Argen-
toratensis,

Pro
Summis in Arte Medica Honoribus &
Privilegiis Doctoralibus impe-

trandis
Solemni Eruditorum Examine
subjicit

JOHANNES Saltzmann /
Argentoratensis.

Die 26. August. A. O. R. 1683.
horis locog₃ solitis.

ARGENTORATI,
Literis JOH. JACOBI DOLHOPFII.

